

capitula Adriano primo aliquidat, vel, ut existimat A Marca laudatus, excerpta est ex antiquis canonibus et genuinum pontificum Romanorum epistola, tum etiam ex legibus Codice Theodosiano comprehensis, vel potius ex illarum legum Breviario. In his autem capitulis interdum nonnihil additur antiquis canonibus, interdum vero verba aliqua aliqua detrahuntur, tantaque horum capitulorum dignitas fuit, ut etiam frequenter

descripta fuerint in regum Francorum capitularibus, ut tam Antonius Augustinus quam Marca communis consensu scribunt. Ceterum priorum pontificum Romanorum epistolas suppositias esse non tantum Marca et Antonius Augustinus, sed etiam Baronius anno 865 passimque alii viri docti fatentur. Vide quæ de iis epistolis diximus anno Christi 100, n. 6, et seqq.

ANGELRAMNI DONATIONES QUÆDAM.

I.

Angelramnus Fahanem et Gaudiacum Gorziensi monasterio donat (anno 770).

(Ex D. Calmet, Hist. Lothar.)

Cum Christus unicus Filius Patris, qui cum Patre, et Spiritu sancto cuncta creavit ex nihilo, non designatus sit animam pro omnibus suis ponere, et acquisitus proprio cruento, servo sibi credito tradidit custodiendas, et si cui committantur, perspicere ac solerii studio peregrinare debet ut gregem sibi commissum, in quantum ipse qui tradidit, ei vires tribuere dignabitur, non negligendo necessaria omnia tam spiritualia quam et temporalia impendere studeat, ut talentum sibi creditum cum usuris Domino suo repræsentet. Ideo ego in Dei nomine Angilramnus, gratia Dei Metensis urbis episcopus, pro divino intuitu, vel animæ nostræ remedio, seu pro æterna retributione, una cum consensu cleri vel laicorum fidelium sancti Stephani protomartyris peculiariis patroni nostri, cui Ecclesiæ auctore Christo præesse dignoscimur, donamus ad monasterium Gorziæ, quod subjacet ipsi ecclesiæ sancti Stephani, quod prædecessor noster bona recordationis dominus Chrodegangus archiepiscopus, in honore sancti Petri et cæterorum sanctorum a novo ædificavit, et turbam monachorum sub sancta norma vitam degentes coacervavit, vel ubi sanctus Gorgonius, præclarus videlicet martyr in corpore quiescit, et ubi Theomarus abbas sub manu nostra rector esse videatur, hoc est, res illas de ratione sancti Stephani, id est, in pago Bedinse, villam runcupatam Fahō, quam nunc per beneficium sancti Stephani, vel nostrum, Fredelaigus Vassus domini Carolimanni regis per precariam nostram tenere videtur, neconon et villam aliam de ratione ipsius sancti Stephani, sitam in pago Wabrinse, cognominatam Gaudiaco, quam Godfridus similiter homo dominicus, per beneficium sancti Stephani, vel nostrum, per precariam tenere videtur; ad ipsum jam fatum monasterium, vel ad illam sanctam congregationem inibi vitam degentem, volumus esse donatum: hoc est, in terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, mancipiis, litis, accolabus, adjacentiis, appendiciis, cum integris terminis solitusque stratis earum, ad easdem villas jam fatas Fahō et Gaudiaco aspicientibus, vel pertinentibus, ad partem sancti Petri, vel sancti Gorgonii, seu ad ipsos fratres proficiat in augmentis, ut eos melius de-

lectet pro nobis vel inclito rege nostro, seu stabilitate regni Francorum, et successoribus nostris, Domini misericordiam attentius exorare, et illum censem quem usque nunc ipse Fredelaigus, vel Godfridus ad partem sancti Stephani, vel nobis dederunt, ipsum ad partem ipsius monasterii, vel ad ipsos fratres annis singulis persolvant. Et cum ipsi de hac luce discesserint, ipsi fratres, ipsas jam fatas villas, cum omni superposito, absque illius contradictione vel judicis, aut pontificum successorumque nostrorum, exspectata traditione in eorum recipient potestatem. Quænamque successores, patresque meos episcopos, et per inseparabilem Trinitatem adjurare præsumo, ut facta mea sic in ævum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle ut gesta eorum per tempora prolixa conserventur. Anno ab Incarnatione Domini 770. Ego in Dei nomine Angilramnus peccator episcopus, hanc epistolam cessionis a me factam relegi et subscripsi. *Signum Agnardus. Ego Optarius, ac si indignus presbyter. Heboradus abbas. Arthecarius archidiaco-nus. Andreas. Gilo abbas. Sigillum Huvinodo. Hariumandus notarius. Ego Ynaseo intimus diaconus, jussus a Domino et pontifice meo Angilranno, hanc epistolam cessionis scripsi et subscripsi.*

II.

Angelramnus Warangesi villam donat monasterio Gorziensi (anno 770).

(Ex D. Calmet, ibid.)

In nomine Domini, Angelramnus gratia Dei Metensis urbis episcopus. Pastorale quidem exercemus officium, si oves nobis a Deo commissas in quantum per vires Omnipotens suspetit, undique conspicimus, ut alimoniam tam spiritualem quam corporalem habere non desinant; et si de rebus ecclesiæ quæ nobis ad regendum vel gubernandum tradita est, ecclesiæ vel monasteriis ad eandem pertinentibus, vel aspicientibus, pro opportunitate servorum Dei, vel pauperum, aliquid impertimur, nihil contra auctoritatem canonicam, vel instituta Patrum agere aestimamus. Ideoque pro divino intuitu, vel animæ nostræ remedio, una cum consensu clericorum vel laicorum fidelium, ecclesiæ sancti Stephani, cui, auctore Deo, præesse videmur, donamus ad monasterium sancti Petri, in loco qui vocatur Gorzia, quod bonæ memorie antecessor quondam noster dominus Chrodegangus archiepiscopus a novo ædificavit, vel ad illam sanctam congregationem monachorum inibi consistentium, ubi inclitus ac præclarus videlicet martyr sanctus Gorgonius in corpore requiescit, vel ubi Theut-

marus [Theomarus] abbas sub manu nostra præesse videtur, donatumque in perpetuum volumus esse, et plena animi devotione confirmamus ; hoc est, in pago Calvomontense villam nuncupatam Warangesi villa, cum adjacentiis, vel appendicibus, seu opportunitatibus suis, tam terris, campis, pratis, pascuis, vineis, sylvis, cultis et incultis, aquis, aquarumve recursibus, mobilibus et immobilibus, mancipiis, litis (*Des Laboureurs*), accolabus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, generis vel ætatis, cum integro termino, solidoque statu, facta omnia et ex omnibus totum et ad integrum, quatumcumque ad ipsam villam adspicere vel pertinere videtur, ad ipsum monasterium, vel ad ipsos fratres volumus esse donatum. Simili modo donamus in ipso pago rem illam in Manico-curte, quam Haribertus ad partem sancti Stephani donavit, et modo tenet filius suus, nomine Chrotecarius per precariam. Similiter donamus in ipso pago rem illam in Rehensa Coldo-curte, quam Beto ad partem sancti Stephani delegavit, et ipse modo per precariam tenet, seu et sortem illam in ipsa villa, quam Vibollagus per beneficium sancti Stephani vel nostrum tenere videtur. Simili conditione donamus in ipso pago rem illam in villa Acciago, una cum illa ecclesia inibi constructa, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, quam Aglebertus filius Marcelli per beneficium sancti Stephani vel nostrum visus est habere. Donamus etiam rem illam in ipso pago cognominante Nodulfo, quam Hduinus per beneficium sancti Stephani vel nostrum habere videtur : necnon et illam rem in villa Buxarias, quam usque nunc Gondolanus per beneficium sancti Stephani visus fuit tenere, ad ipsum monasterium sit delegata vel data. Similiter donamus res illas in ipso pago in loco nuncupato Hadulio-curtem, et ad Burtsoloni-villam, quas Maurotus per suum testamentum ad partem sancti Stephani condonavit. Simili modo donamus res illas in ipso pago Calvomontensi, quas Harbertus et Warnildis ad partem sancti Stephani per suum testamentum delegaverunt, et modo ipsa Warnildis per precariam habere videtur in loco nuncupante Arcas, seu et Niguiemonte, ad ipsam casam Dei proficiant in augmentum. Similiter donamus res illas in ipso pago ad Ilibas, super fluvium Cernone, quas Halibertus ad partem sancti Stephani delegavit, et modo filius suus Raboldus per precariam tenet. Similiter donamus res illas super ipsum fluvium Cernone, quas Suitardus ad sanctum Stephanum dedit.

Simili conditione donamus in pago Suggentinc vilain nuncupatam Childuso-villa, quam nunc Otto comes per beneficium sancti Stephani vel nostrum habere videtur, una cum illa sorte quam Gonthadus ad sanctum Stephanum dedit, et ipse modo per precariam tenet. Hæc omnia superius comprehensa, tam in terris, dominibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, sylvis, cultis et incultis, aquis aquarumve recursibus, mobilibus et immobilibus, mancipiis, litis, accolibus, adjacentiis, appenditiis, cum integris terminis

A solidisque statis eorum ad eas res pertinentibus vel aspicientibus, ad ipsum jam satum monasterium, vel ipsos fratres proficiant in augmentis, ut eos melius delectet pro nobis, vel inclitis Regibus nostris Carolo atque Carlomanno, seu stabilitate regni Francorum, et successoribus nostris, Domini misericordiam attentius exorare. Et quisquis ex istis hominibus superiorius nominatis, vel aliis quibuslibet, de rebus superiorius intimatis, per beneficium sancti Stephani, vel per precarias ad censum habere videntur, illam censem quem usque nunc in donum ad opus nostrum dederunt, deinceps in antea ipsum censem ad ipsum sepe dictum monasterium, vel ad ipsos fratres persolvant. Et cum de bac luce decesserint, et dies obitus eorum advenerit, post eorum discessum ipsas res B cum omni superposito, absque ullius contradictione, vel judicis, vel pontificum, successorumque nostrorum exspectata traditione, ipsi fratres in suam recipiant potestatem ; precorque successores dominos meos, et per sanctam Trinitatem adjurare præsumo, ut facta mea sic in ævum perdurare permittant, sicut ipsi habent velle, ut gesta eorum in perpetuum perseverent. Actum super fluvium Moscæ, in loco qui vocatur Fontanas, anno ab Incarnatione Domini DCCLIX, indictione VIII, epacta XIX, concurrente VII, anno primo regni Carlomanni Regis.

C Ego Angilrannus peccator episcopus, hoc testamentum a me factum relegi et subscripsi. Ego Grimaldus abbas subscripsi. Ego Helborardus abbas subs. Ego Goso abbas subs. Ego Sigibertus abbas subs. Fredalius peccator coepiscopus subs. Stephanus presbyter subs. Andreas subs. Donatus subs. Ego Rocfridus subs. *Sigillum Widangi*. Haymaldius subs. Dodonus subs. Hardonino subs. Hildelbodo subs. Adulpho. Ego Ynasco jussus a domino et pontifice meo Angilranno, hoc testamentum scripsi et subscripsi.

III.

Angelramnus prædia quædam sita in Alsacia donat cœnobio sancti Avoldi (anno 787).

(Ex D. Calmet, ibid.)

D Ego Engilramus in Dei nomine pontifex Metensis indignus, omnibus ecclesiis nobis commissis providere debemus sollicite, et fratribus ibidem Deo degentibus pacem facere, et a pravis hominibus defensare, resque eorum custodire, ut securius Deo valeant servire. Ideoque coenobii beati Naboris quotidianis calamitatibus et miseriis pie atque misericorditer condolentes atque compatientes, quas sub advocati et ministri comitis Wolmeri nostri advocati, tam in exactionibus, quam in rapinis quas nocte et die indesinenter inferunt et faciunt hominibus ejusdem ecclesiæ, eosque opprimentes et affligentes quotidie, ita ut non possent clamores eorum sustinere; his omnibus cœnobium illud ad tantam devenit inopiam atque miseriam, quod vix possent repente fratres qui Deo ibi et sancto Nabori vellent servire, quia non habebant unde ibi vivere : tandem recepto consilio, eundem comitem convocabimus, et per

nostram justitiam eum tamen constrinximus, quod A et ipse ab hac injuria cessavit, subadvocatos et ministros corripuit. Pro hac igitur correctione et emendatione prædicti cœnobii Wasco abbas, et sui fratres, nostro et omnium consilio, et ejusdem comitis, ut firma et rata esset, et ut deinceps eos comes, nec eorum successores inde inquietarent, quasdam villas quæ erant ad præbendam corun, comiti in perpetuum tradiderunt, ut amodo ipse comes nec subadvocati vel ministri ullam tamen vel exactionem vel inquietationem eidem ecclesiae vel rusticis ejus inferrent seu facerent; si vero rustici eorum rebelles contra eos existerent, vel ad justitiam venire recusarent, prædictus comes per abbatem vel per fratres commonitus, illuc veniret, et abbas in nocte solvendo eum cum suis, procuraret in nocte et in die subsequenti de rusticis justitiam facere, et de justitiis abbatii duas partes, tertiam comes haberet, et his contentus esset, cætera vero ecclesiae beneficia et annalia servitia abbas et fratres in perpetuum posiderent, et sine aliqua inquietatione libere et pacifice haberent. Nomina villarum Walo, quæ est juxta

Morspec castrum in Elisacia, juxta Humburo; Ropac villam apud Jugeswile, quatuor mansos juxta Salrab, Cundici cum ecclesia villam juxta Bozonis-villam. Itemque Ostingam villam et novem mansos apud Altor, juxta Tannæ-villam, et unum mansum apud Hlinkingam-villam. Hæc omnia sicut in præsenti scripta esse videntur, ita autoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum et Sanctarum, et nostra confirmamus atque roboramus, ut nullus comes vel advocatus, sive aliqua persona, vel homo, hanc chartam audeat violare, infringere atque mutare, sed firma et stabilis semper usque in hodiernum diem permaneat, omnesque qui hanc violare vel contraire tentaverint, iram Dei et maledictionem, et nostram excommunicationem B incurant. *Sign.* Boterti advocati. *Sig.* Sigibaldi. *Sig.* Liepbridii archidiaconi. *Sig.* Manfridi archidiaconi. *Sig.* Helimanni decani *Sig.* Bencenis prepositi. *Sig.* Ottonis præpositi. Actum hoc anno 29 a regnante Carolo glorioso Rege, sub die 13 M. Junii. *Subsignatum.* Ego Allo notarius scripsi et Christophorus Thilman.

* Forte 19, nam annus 29 Caroli Magni incidit in annum Christi 797, quo anno Angilramnus vivere desierat.

ANNO DOMINI DCCXC.

WICBODUS.

NOTITIA HISTORICA IN WICBODUM.

[Ex Fabrieo, Biblioth. med. et inf. Latinitatis.]

Wicbodus, cuius Quæstiones in Octateuchum in codice sancti Maximi Trevirensis invenerunt, in tria vero tantum Geneseos capita ediderunt Martene et Durand Collect. Ampliss. IX, 293, dubium est quis fuerit. Sub initium codicis exstant haec verba: *Carolus rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum, hunc codicem ad opus suum scribere jussit.* An igitur Wigbaldus ille sit, Caroli Magni sub Itherio et Radone archicancellarius notarius; an Widbaldus, quem teste Astronomo, idem princeps circa an. 778 præfecit Petragoricis, incertum est.

C Opus autem ex dictis sanctorum Patrum, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Isidori, Eucherii, Junilii contextum est, quorum verba retinuit. Et quia maxima Geneseos pars purum Hieronymi ut Isidori textum fere exprimit, sequentes vero libri unum Isidorum exhibent, plura duumviri laudati edere noluerunt. Ipse tamen codex usui esse potest illis qui futuro tempore Hieronymi et Isidori Opera denuo recensebunt. Ad Historiam litterariam Galliae, tom. IV, p. 177.

VICBODI QUÆSTIONES IN OCTATEUCHUM.

Ex pervetusto codice Trevirensis S. Maximini monasterii.

(Marten., ampl. Coll. conc.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Wighodi Quæstiones in Octateuchum exhibeo, de scriptas ex pervetusto codice Trevirensis sancti Maximini monasterii, cuius in fronte hæc leguntur: *Carolus rex Francorum et Longobardorum, ac patri-*

cus Romanorum, hunc codicem ad opus suum scribere jussit. (Quæ religiosi principis summa fuit in res sacras propensio.) Auctor illarum Wicbodus, seu Wigbaldus, sive sit ille Wigbaldus Caroli Magni